

P R Æ F A T I O

curare modos occultos, quanquam fors possint esse feliciores. Cur? quæris? Nondum comprobata sunt ab artificibus. Ut comprobentur, diu in publico esse debent. Non ergo habentur pro artificiosis, si sunt occulti. Qui boni sunt, & liberali ingenio nati, in quibus videbunt me deficere, aut ipsi edent meliora, aut ad me edenda in commentarijs mittent. Non refugio iudicia ingenua de laboribus meis, nec pertinax ero in defendendis erratis. Dis-
cam à quouis legitimo monitore.

Quædam cum alijs edita facilè patent imposturis. Itaque videbantur supprimenda potius, quàm publicanda amplius. Sed cum imposturis sua sit parata pœna, satisquè vigilans sit in officio suo magistratus: quin & nouerint industrij artifices earum examina, & censendi regula vna adhibeatur, non est vt quis ab ista parte metuat. Bonis consultum volui, non malis: Bona dedi, quæ vt bene vsurpentur, attestor.

Illud cauendum est, ne audaculi imperiti in medicando id adhibeant, quod est Medicorum circumspèctissimorum, exercitatissimorumquè: veluti si essentia ex sublimato & regulo fiat, si flos ex antimonio, si Turbith' ex Mercurio, si laudanum ex opio, tu qui imperitus es medendi & imprudens, nec tibi facile, nec alijs horum permitte vsum, cùm temeritate vtvt semel atque iterum fortè profis, plus tamen deinceps peccare possis. Nobiles Medicinæ in manu temerarij hominis, sunt vt culter, vel fax ardens in manu pueri, aut dementis.

Nec formidanda mihi est eorum iudicum sententia, qui dicent mea opera effectum, vt & fabris metallurgis, alijsq; opificibus hætenus è Philosophica libertate ad seruilia abiectis, sit tutus in Philosophia locus: cùm enim Chymia non tantum ministra sit medicinæ, sed & physicæ contemplationis pars honoratior, in solium Physicæ euehentur mechanici.

Atqui ego non quibus concrediti sint labores, respiciendum putavi, nec quibus ministris vterentur Philosophi: Contemplatio ipsa præceptis comprehensa, ad suam artem fuit reuocanda. Et certè licet aurifaber multa mutuatus sit à Chymico: licet multa etiam metallurgus: tamen tum operationum solertia impar est: tum illa opificia pluribus alijs aucta, vt sic pol-
lutum